

num lacrymis poenitentiae. Valde molitur dæmon, ut cibum et potum ad voluptatem sumamus, quod sequenti ex narratione discimus. De S. Lupo Senonensi episcopo scribit Sur. 1. sept. quod aliquando noctu machinatione dæmonis magnam sitim senserit. Jussit igitur afferri sibi a famulo aquam frigidam. Verum mox advertens dolum diaboli in hydria latentis, non bibit, sed posuit hydriam ad caput lecti, et signans pulvinar posuit super os hydriae, sicque inclusit virtute divina dæmonem, qui mirum in modum tota nocte ululans prodidit se quis esset, et quid molitus esset. Sciamus igitur dæmonem a cibo et potu non procul abesse, necnon machinari, ut iis ad gulam et voluptatem cum peccato abutamur: proinde cum turture et S. Lupo potum cibumque prævia cogitatione, quam dixi, obsignemus et dicamus: Impostor, qui me captum venisti, ego te capiam et includam, ne mihi nocere possit cibum et potus. Bibam, ut, natura confortata, Deo serviam, non tibi. Sic fugiet, sic plagam accipiet.

V. Docet qualis nostra conversatio esse debeat. Turtur enim in solitudine fere manet, et per aetatem ad nos veniens, non nisi in altissimis arboribus nidificat, procul scilicet ab insidiis jaculisque aucupum: eademque de causa non insidet ramis viridibus, sed aridis tantum, ut possit undique circumspicere et insidias cavere. Sic ergo Christianus amet solitudinem cordis saltem, fugiat peccandi occasiones, conventicula, socios malos. Exemplo est rex David, qui Psal. LVII. ait: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* S. Greg. in Ps. VI. poenit. negat eum habitasse in solitudine loci, sed vult habitasse in solitudine cordis tantum, inter tot homines; memorem scilicet lapsus sui, in quem inciderat, cum oculos ad mulierem deflexisset. Fugit ergo in posterum peccandi occasiones et illecebras. Unde Ps. XXV. proponit firmiter se subducere a conventu et idolatricis nugis Philistinorum, dum inter eos moraretur exul: *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odavi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedeo.* In Hebr. pro *iniqua gerentibus*, habetur *cum pueriliter occultantibus*, q. d. ludentibus puerorum more, qui se in angulis, aut faciem manibus occultant: plane alludens ad nostra bacchanalia, quæ simillima sunt stultitiis Philistinorum, quas idolis suis exhibebant. Ab his ergo ludis, nugis et stultitiis abhorreat Christianus. Accipiat nunc pennas, et fugiat in solitudinem cordis et cubiculi sui, vel exemplo Deiparae, quæ cum Christo ab insidiis Herodis recepit se in so-

litudinem et Ægyptum, post purificationem: quia draco ille ignitus, Herodes, insidiabatur illis.

Videmus ergo non absque causa turtures a Deo expeti, qui scilicet typus sunt boni Christiani. Quare ut unusquisque gratum Deo obsequium præstet, et sacrificium offerat, turtur esse studeat, ut sic ipse quoque in templo gloriae tandem præsentari Deo mereatur.

CONCIO V.

QUARUM RERUM NOS ADMONEANT CEREI SACRI MANIBUS GESTATI HODIERNA DIE.

I. Christum nobis præ oculis ponunt. — II. Cereum in baptismo traditum revocant in memoriam. — III. Cereum morituris porrigendum proponunt ob oculos. — IV. Cereos qui nos ad sepulcrum comitabantur proponunt.

THEMA.

Lumen ad revelationem gentium. Lucae II.

Turpe et derisu dignum est tractare in templo libellos pios, et non posse in eis legere. Sacrae Ecclesiae cæremonia libelli quidam sacri laicorum sunt, e quibus ipsi percipere modo aliquo possunt, quæ in libris legere nequeunt. Hujusmodi sunt cerei benedicti, qui hodierna die fidelium manibus gestantur in ecclesia; libelli, inquam, sacri, non characteribus, sed figuris descripti. Ergo qui hos manu tenent, velut rude enchiridion, intelligere eos debent, ne alioquin inimici et æmuli nostri, dæmones, eos derideant: quod librum in manu habeant, quem legere non sciunt, nec quid sibi cerei isti velint, intelligunt. Quare id nunc exponemus.

I. Proponunt nobis ante oculos lumen illud gentium, quod hodierna die accepit in unassuas Simeon, Christum Salvatorem nostrum; quem juxta predictionem Isa. c. XLII. § XXVI. et c. XLIX. § VI. et c. LX. § III. prævidit gentibus lumen fidei et evangelii allaturum, easque e tenebris ignorantiae ad lumen veritatis educturum. Qua causa cerei hodie benedicuntur et gestantur a nobis, in memoriam tanti benefactoris ac beneficii, gratiarumque actionem. Recte autem cereo accenso representatur Christus: quia ignis, sublimissimum, potentissimum ac purissimum elementum, ejus divinitatem indicat: candela humanitatem; cujus anima per lineum filum seu ellychnium, caro per ceram denotatur. Linum igitur, cum ignem concepit, non cera; sic anima Christi viatoris dote beatitudinis ornata fuit, non corpus: cera opera apum e florum succis

confectur; corpus Christi, opera Spiritus S. purissimo Virginis sanguine coagulatum fuit. Cereus, dum lucem homini præbet, seipsum interim consumit: Christus dum Judæis sua prædicatione lucem accendit et viam veritatis ostendit, accendit simul eorum in se odium, et præbuit eis non sane causam, sed occasionem ipsum occidendi. Porro cereus iste manu apprehendi, teneri ac gestari debet, per applicationem meritorum Christi; ita ut non solum luceat, sed ut nobis luceat et ad bonum nostrum. Alioquin enim sicut lucerna aut sol splendens nihil conducit otianti aut in lecto stertenti, ita etiam Christus nihil nobis proderit, nisi a nobis per fidem, spem, charitatem aliaque bona opera apprehensus et retentus, nobis luceat, fiatque nobis causa salutis particularis ex universalis. Quemadmodum enim pharmacopolium nihil prodest ægris, nisi eo utantur, bibliotheca litteratis, nisi libros legant; ita nec Christi merita, nisi applicentur.

II. In memoriam revocant nobis cereum illum accensum, qui in baptismo nostro datus est, in manus nostras, cum illis verbis: *Accipe lampadem ardentem, irreprehensibilem, custodi baptismum tuum.* Datus porro est, primo, ut sciamus nos esse filios lucis, adeoque opera lucis, facere debere, juxta id, I. Thes. V. *Omnes vos filii lucis estis et filii Dei: non sumus noctis neque tenebrarum.* In cereo est lux quæ significat fidem: calor igneus, qui significat charitatem: cera in columnæ figuram sursum ab imo assurgens, designans spem, quæ nos ad cælum erigit. Hoc ergo cereo, his celestibus virtutibus, in baptismo infusus, jubemur operari operalucis et mittimur in vineam Domini, quasi ligone et instrumentis necessariis instructi. Qui metalla fodiant, suo quisque lumine seu lucerna bene custodita, descendunt in cavernas terræ tenebrosas, ut aurum et argentum investigent atque effodiant: absque lumine frustra sunt. Simili modo nos per baptismum Christo devincti, velut operari conducti, demittimus in hunc mundum tenebris oppletum, ut ibi virtutum et meritorum aurum conquiramus. Audiamus S. Bern. serm. II. de purificat. « Cum arguantur otiositatis, inquit, ipsi quoque quos nemo conduxit; qui jam conducti sunt, si otiosi inventi fuerint, quid merentur? Fides quippe sine operibus mortua est. Ipsa denique opera nostra in fervore agenda sunt, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Alioquin timendum, ne forte tepidos nos evomere incipiat. » Non ergo ad otium, sed ad laborem in hunc mundum missi sumus; ideo lampadem accensam et ardentem accepimus, ut non contenti sola fidei lampade, ardorem etiam charitatis ei jungamus, et tamquam filii lucis,

opera lucis patremus. Qui hoc lumine carent, uti infideles et hæretici, frustra laborant, nec quidquam auri invenient; terram meram effodiunt, bona, inquam, terrena. Non ita nos Christiani, qui cœlestia instrumenta ad operandum accepimus; et si charitate operemur, filii lucis sumus. Veteres in die natali regum accendebant lucernas ad eum ornandum, uti de Herodis natali testatur Persius, sat. V. Christiani in suo per baptismum regenerati natali, reges facti sunt. Ergo cereus, quem hodie manibus gerimus, reducit nobis in memoriam quales in baptismo facti, quid acceperimus, quid Deo promiserimus; quasi ingerens nobis illud Psal. IV. *Filii hominum usquequo gloriosi mei, (uti habetur in Hebr.) ut quid diligitis vanitatem?*

Secundo, datus est, non ut nobis solis, sed ut proximis etiam luceat. Ad hoc enim gestatur manibus, ut per vitam vere christianam præferatur et monstretur aliis in exemplum, juxta Christi mandatum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, etc.* Matth. V. Causam immediate præmisit, dicens: *Neque enim accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Lucerna non uni homini, sed pluribus, qui præsentibus sunt, debet lucere: uti nec sol uni regioni, sed toti mundo accensus est, ideoque totum orbem circumit: sic etiam Christus in nobis accensus, vult etiam aliis impertiri lucem suam. Mos olim fuit, teste Cuiusdam, de offic. Ecclesiae et aulae Constantinop. c. VI. n. XXXVII. lampadem inter alia præferre imperatori. « Lampadem, inquit, præferunt imperatori propter illud Christi dictum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, etc.* » Ergo etiam imperatores hujus præscripti admonebantur; cur non et alii Christiani communi hujus obligationis suæ seipsos admoneant? Sane admonet eos hodie Ecclesia, dum cereos eis porrigit, sicut admonuit in baptismo, cum porrecto cereo dixit: *Accipe lampadem, irreprehensibilem, quam nemo culpet, omnes laudent et suspiciant.*

III. Præfigurant et proponunt nobis cereum illum, quem in hora mortis migraturi ex hac vita accepturi sumus in manus nostras. Et primo quidem, insinuant nobis illius temporis angustias, quas sentiemus in ultimo illo conflictu mortis et vitæ. Videmus enim ignem, quasi viventem et vitæ suæ valde amantem ægre extinguui: resistit reluctandus, inclamat, stridet, excandescit et ulcisci cupit, colligit vires, resumit pabulum et subsidium quærît, quo se tueatur ac conservet, uti facere solent animantia, quæ violenta morte perimuntur, ut ait Pierius, hierog. XLVI. c. XIV.

(unde non defuerunt, qui ipsum animal esse credebant). Si vero defectu pabuli elanguat, diu se quantum potest conservare studet, modico se sustentans, quasi mortem suam refugiens. Idem contingit morientibus; maxime tamen iis, qui vitæ hujus amantes fuerunt, et in bonis duxerunt dies suos. *Mors, enim divitis et fortunati est duplex*, ait S. Chrysostomus, apud Anton. in melissa, quia anima ejus æque adhæret opibus et felicitati ac corpori: quare dum ab utrisque avellitur, quasi duplicem mortem appetit. A corpore quidem separari anima horret naturaliter. Hinc moribundi cupiunt e lecto surgere, quasi fugam molientes: manibus ad se stragulum et lintamina trahunt et fulera apprehendere conantur, quibus se sustentent. At hæc angustia metuenda adeo non est, sicut altera, quæ procedit ex spoliatione rerum mundanarum, quibus addictus fuit moriens, vitæ, opum, honorum, voluptatum, uxoris, filiorum, amicorum; deinde ex metu iudicii divini. Qui ergo ab hac angustia et tortura liber esse vult, liberet se prius ab amore hujus mundi et rerum omnium fluxarum, si non effectu, ut religiosi, saltem affectu. Sic viatores transituri loca militibus vel prædonibus infesta, pretiosas vestes exuunt, pecunias abjiciunt, arma deponunt, lateri ac pene nudi incedunt, eoque pacto non vitam modo, sed verbera etiam et vexationes redimunt. Sic imminente jam naufragio, qui vitæ suæ consulunt, a vestium onere se expediunt et ad enatandum parant. Deinde, videant cum Simeone mortem, antequam adveniat, ut imminentem æquius ferant. Id agebat Godefridus comes Capenbergensis, post abdicatum ditissimum comitatum, ordinem Præmonstratensem ingressus. «Frequenter sociis in itinere quolibet residendo pausantibus, ipse, quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi solent, manus et brachia sua composuit supinus, dicens clamore intimo gemituque vehementissimo: O si veniat hora illa nostri transitus! O si ad hanc horam aptare ac præparare me digneris, Domine Deus meus!» Sic armatus cum morti appropinquaret, fratri suo germano Othoni mœrenti ait: «Idcirco, mi frater, universa propter Deum abdicavimus, quia nos ad hujus horæ necessitatem perventuros certissime noveramus, præoptantes atque satagentes, ne hujus nos procella discriminis obruat imparatos:» et paulo post: «Frater mi, audio vocem dicentem: Exite obviam ei.» Ad extremum vero cum ingenti subita exultatione dicebat: *Bene veniunt nuntii Domini creatoris mei.* Quod dicto spiritum Deo reddidit, ut in ejus vita, 13. jan. apud Sur.

Secundo, ut lumen gratiæ, fidei et charitatis in

baptismo nostre accensum conservare meminimus usque ad ultimum vitæ spiritum, adeoque constanter vero lumini Christo adhærere. Mos olim apud gentiles erat, teste Platone, l. VI. de legibus et l. de rep. ut ex ara Promethei usque ad vicinam urbem accensas lampades seu faces gerentes cursum instituerent: is autem, in cujus manu fax extinguebatur, non modo nihil lucrabatur, sed etiam infaustus habebatur, turpis et inglorius; quin etiam pueri palmas ei dabant, veluti ignavo et turpiter victo, ut refert Euphonius scholiastes Aristotelis. Hujusmodi cursum omnes nos peragimus, incipientes a baptismo, ubi cereus ardens in manus nostras traditus fuit, ut eum inextinctum servaremus usque ad terminum vitæ et in introitum civitatis cœlestis; idque revocatur morienti in memoriam, dum ei cereus offertur. Beatus porro, qui lumen hoc ad terminum illum detulit: infaustus e contra, qui extinxit, aut negligentia sua extingui passus est, turpis et inglorius. Pueri et infantes, qui suum illud lumen salvum ad vitæ finem detulerunt, derident illos, et palmas eis dabunt: *Hic homo, dicent, cepit ædificare et non potuit* (vel potius noluit) *consummare*. Imo ædificaverunt, sed quod struxerunt, iterum dejecerunt: cereum accenderunt; sed male custodiendo, rursus extinxerunt. Hoc est, quod vobis insinuavit Christus in parabola decem virginum, per quinque illas fatuas, quæ cum accensas accepissent lampades, quibus obviam irent sponso, sua incuria viderunt extingui, cum jam sponsus adventaret, unde a prudentibus aliis quasi alapas acceperunt, quando audierunt: *Ite potius ad vendentes, et emite vobis* (quasi cum sarcasmo dicerent: Prostat in foro): nec non ab ipso sponso, sero venientibus et fores pulsantibus dixit: *Nescio vos*, Matth. XXV. In lacu Asphaltide, seu mari Palæstinæ mortuo lucernæ ardentes supernatent, extinctæ mox ad ima demergentur, teste Josepho, l. IV. et V. de bello, Hegesippo, Plinio et aliis. Pari modo in morte, qui cereum gratiæ accensum habuerit, salvus erit: qui extinctum, mergetur in abyssum.

IV. Ob oculos ponunt cereos illos, quibuscum effertur aliquando funera nostra. Hi enim postremi nostri amici sunt, qui usque ad sepulcrum nos comitabuntur, tametsi non ulterius. Demonstrant ergo nobis primo, felicitatis humanæ inconstantiam et finem luctuosum. Bene S. Bernardus, in ser. de fallacia præsentis vitæ. «Accenditur cereus, inquit, non purum lumen est, siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consumptione fovetur. Porro, deficiente materia, deficiet ipse: et ubi videris illam prorsus exustam, hunc quoque nihilominus extinctum esse repe-

ries. Sicut ergo flammæ illius novissimæ fumus occupat et caligo; sic lætitiæ lætæ rei in tristitiam commutatur.» Comitantur cerei mortuum usque ad sepulcrum; eo sepulto extinguuntur, et in fumum abeunt, unaque cum illis omnis defuncti gloria, opulentia, honor, sapientia, deliciæ, memoria. Mire celebratur Q. Metelli Romani felicitas a Val. Max. l. VII. c. 4. et Plinio, l. VII. c. XLIV. a divitiis, liberis, dignitatibus, corporis dotibus, vita vegeta et diuturna. «Cælum contemplare, ait Valerius; vix tamen ibi talem statum reperies.» Hæc tamen omnis ejus felicitas parvo in loculo, cereis comitantibus, in rogam illata, ibique extincta est. Et quid aliud expectare possunt reges terræ etiam felicissimi? Quatacumque enim illorum felicitas sit, lumen accensa in cera est; quod dum emicat, paulatim etiam deficiente, quæ consumitur cera in suum festinat interitum. Unde Prov. XIII. dicitur: *Lucæ justorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur.*

Secundo, vitæ bene aut male peractæ periodum admodum diversam. Candelæ et faces aliæ ex sebo et pice, aliæ ex cera confectæ sunt: quæ dum ardent, non facile advertitur discrimen inter eas; at ubi extinguuntur, tum illæ quidem post se relinquant: hæ vero minime, sed gratum potius et innoxium. Sebum adeps carnis est; unde opera carnis significat, quæ damnet apostolus ad Gal. V. cera opera apum et floribus colligitur ac conficitur, unde opera bona et fructus spiritus denotat, quos ibidem laudat apostolus. Pari igitur modo justus et pii suam post se relinquunt famam odorem, suique memoriam: tetram vicissim impii, juxta id Prov. X. *Memoria justus cum laudibus,*

et nomen impiorum putrescet. Non opus demonstratione: tota hoc Scriptura clamat et exemplis, demonstrant profanæ quoque historiæ. Hinc sanctorum festa celebrantur cum honore, nomina, gesta describuntur et in pulpitis prædicantur; impiorum nesciuntur, abjiciuntur, comburuntur, infami aut obscuro loco absconduntur, denique velut sebaceum elychnium fumigans pedibus poteruntur. De morte piorum ait Ecclesiasticus, c. I. *Timentis Deum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur;* non solum a Deo, sed etiam ab hominibus. Omnes enim illis bene precantur; sicut de Moyse idem Ecclesiasticus, c. XLV. ait: *Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est.* Ut enim thus et pigmenta odorata, cum incenduntur, suavem omnibus odorem afflant; ita pii, cum moriuntur, ab omnibus commendantur. Unde de Josia rege optimo ac piissimo dicitur Ecclesiastici XLIX. *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta, opus pigmentarii: in omni ore quasi mel dulcorabitur ejus memoria, ut musica in convivio vini.* Mel a putredine servat corpora mortuorum, musica convivas exhilarat: sic piorum memoria eos immortales quasi conservat, ut in ore hominum vivant, et velut musica eos recreat. E contra de impio illo Antiocho, ejusque similibus, l. Macch. J. ait Mathathias: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus sterces et vermis est.*

Hæc sunt, auditores, quæ in cereis istis, quasi in enchiridio legere quodammodo et intelligere debemus. Quæ si bene ac frequenter expendimus, non poterit nos inimicus noster derisui habere, sed nos illum potius ridebimus, et nobis gratulabimur in hora mortis nostræ.